

Hactenus incursus tanti excepere Tyranni.
Crede mihi, nos si subigat, nihil abfore, dicit,
Quin omnem Europam penitus sua sub juga mittat.
Te quoq; bellipotens Mahometis dextera Româ
(Ne dubita) & sanctâ quærerit detrudere sede,
Et cessatis adhuc? nec quisquam publica pensi
Damna habet? aut fessi tentat succurrere rebus?
O stupor! ô fatale malum! ô opprobria fœda!
Quod per ego dextram te hanc & fumantia charæ
Excidia Europæ rogo, rerum consule suumæ.
Devinci populos socialis fœdere nexus,
Ut tandem furijs surgat Germania justis
Gallusq; Hispanusq; ferox atq; Itala tellus,
Et penitus toto divisa Britannia mundo.
Durum vis aliter nequit ulla retundere Turcam.
Me juvet ô tantis ductorem adjungere rebus,
In casus vadet nemo me audentior omnes,
Qui Martis terrorem inter pugnæq; labores
Sublatus, vigi assiduo certamine miles.
Est heic est animus lucis mihi spretor & hostis
Turcarum, & vel mille animos si fata dedissent,
His Thraci instarem, captæq; opprobria vitæ
A patriâ arcerem à templis arisq; Deorum.
Sancte Pater, socia arma para, & succurre relicto,

C 2

Quem